

$\pi k$   
5148



B.  
56





B. m. II, 24.

A. 4, 4. DISPUTATIO JURIS GENTIUM PUBLICI,

De

PK  
5148

OFFICIO & JURE  
MEDIATORUM  
PACIS,

Quam

*Auspiciis Divini Numinis*

PRÆSIDE

DN. HENRICO COCCEJO,

JCTO LONGE CELEBERRIMO,

SERENISS. AC POTENTISS. REGIS BORUSSIÆ  
CONSILIARIO, EIDEMq; AB AULÆ REGIÆ CONSILII,  
FACULT. JURID. ORDINARIO, & PROFESS.

PRIMARIO,

h. t. UNIVERSITATIS RECTORE MAGNIFICO,

ANTEA

SUMMI CONSILII STATUS ELECTORALIS PALATINI  
ET COLLEGII REVISORII ASSESSORE, IN ALMA HEIDEL-  
BERGENSI DECRETAL. PANDECT. ET JURIS GENT.

PROF. PUBL. ORDIN. MERITISSIMO,

*Doctore & Promotore Studiorum omni observantia cultu prosequendo,*  
Publice defendendam  
suscipiet

*Ad Diem IV. Februar. Ann. MDCCII.*

FRIDERICUS DE STEPHANI, 16.  
Eques Marchicus.

Francofurti ad Viadrum, *Literis* Christophori Zeitleri.

20

16



SERENISSIMO ac POTENTISSIMO  
PRINCIPI REGIO ac DOMINO,  
DN. FRIDERICO  
WILHELMO,  
MARCHIONI BRANDENBURGICO

S. R. I. ELECTORATUS,  
MAGDEBURGI, CLIVIÆ, JULIÆ, MONTIUM, STE-  
TINI, POMERANORUM, CASSUBIORUM, VANDA-  
LORUM, ITEM IN SILESIA CROSNÆ  
DUCATUUM,

BURGGRAV: NOR:  
PRINCIP: HALBERSTADII, MINDÆ & CAMINI,  
COMIT: HOHENZOLLERÆ, MARCÆ  
ET RAVENSBERGI,

DYNAST: IN RAVENSTEIN, LAUENBURG  
ET BUTOW

BIBLIOTHECA HÆREDI,  
PONICKAVIANA &c. &c. &c.



*Domino suo Clementissimo.*

Hanc Juris Disputationem sequē ipsum  
Humillima subjectione  
offert

FRIDERICUS de STEPHANI.



*Serenissime ac Potentissime*  
**PRINCEPS REGIE,**  
*DOMINE CLEMENTISSIME.*



Ingenus sanè fortunæ beneficium est, Principem nasci feliciter: majus verò, Eundem animum ac mentem à natura accepisse virtutis, pietatis, justiq; tenacem. Illud est summus ille in terris Natalium Principalium splendor, hoc Divinæ mentis coelumq; spirantis animi opus. Illud fortunæ, hoc nostrum est: Alterum majoribus ac generi, alterum nobis debemus. Utrumq; Majestatem Principum terris prope eximit &

*Terra-*



*Terrarum Dominos evehit ad Deos.*  
Ast alterum id est, quo populorum,  
gentiumque & univerforum salus ac  
tranquillitas continetur. Tibi, SERENIS-  
SIME PRINCEPS REGIE, non sine insigni  
Divini Numinis beneficio utrumque,  
haut parcé sed copiosissimé, magnaq;  
divinæ benignitatis exuberantiâ con-  
tigit. Equidem, ut taceam illas totius  
corporis tui gratias, illam frontis tuæ  
Serenitatem, illam indolis ac animi  
magnitudinem, cæterasq; virtutes, qui-  
bus inter Principes, ut Sol inter Stellas,  
& fulges & emines: non possum non  
venerari singularem illam animi tui in  
litteras propensionem & summam in  
Gloriosissimi Augusti Parentis Tui  
Mini-



Ministros eorumq; liberos, clementiam, quæ in primis securum me reddidit impulitq; ut ceu primam homagii mei teseram, Serenissimo Nomini tuo hanc Disputationem consecrarem. Nihil est doni, Principum Optime, quod jam tibi offerre audeo. Justa est restitutio ejus, quod Tuum, Tibiq; ut sunt Studia mea omnia, sacrum est. Nec præterit hæc disertatiuncula Serenissimæ Domus Brandenburgicæ gloriam, quam ut aliis rebus fortiter & præclare gestis, ita & crebris Mediatoris officiis acisq; studiis nacta est. Quò magis cōfidere possum SERENISSIME PRINCEPS REGIE, Te non esse aspernaturum tenuissimum hoc opusculum literarium



Serenitati TUÆ REGIÆ dedicatum, sed  
serena fronte accepturum hoc quale-  
cunq; studiorum meorum specimen, &  
solitâ Tuâ clementiâ gratiâq; me digna-  
turum, qui nemini cuiquam alii Subdi-  
to fide, observantiâ, animiq; subjectio-  
ne unquam cessurus sum, vitam quoq;  
& sanguinem pro Tua Tuorumq; salu-  
te ac incolumitate profundere paratus,  
semperque perseveraturus,

*Serenissime ac Potentissime*

PRINCEPS REGIÆ,  
DOMINE CLEMENTISSIME,

*Serenitatis Tuæ Regiæ*

Humillima devotione  
Subjectissimus Servus

FRIDERICUS DE STEPHANI.



## SUMMARI A.

1. Pax felicissimus humanae societatis status, bellum omnium malorum lerna est.
2. Haec duo tempora uti effectū ita causā differunt, teste Cesare.
3. Naturae & societati humanae nihil magis convenit, quam lites & bella componere.
4. Romani imprimis laudantur à studio bella componendi.
5. Hodierni quoque, Europae populi Christiani ab eodem studio commendantur.
6. Definitio Mediatoris tum Generalis tum specialis. Hic intelligitur, qui inter Principes intercedit.
7. Is invidis partibus ingerere se non potest.
8. Nec cogi ad arbitrium, sed à semel quoque recepto iterum recedere potest.
9. Arbitrator vel causam iure decidit, & est instar Judicis: vel transigit amicabili compositione, & huic similis est Mediator.
10. Mediator esse nequit, nisi à partium studio remotus & inter eas mediatus.
11. In tractatu Pacis Neom. ob hanc causam mutatus est Mediator.
12. Mediatio impropria est, quando per ministros pax componitur. Et quid, si unius partis Minister utriusque probetur.
13. Pax quoque sine Mediatore potest convalescere.
14. Latiori sensu tamen Mediatores dici quoque possunt Principum Ministri, qui pacis componendae causam conveniunt.
15. Quing. recensentur Mediatorum genera, sed primum proprie hanc tantum pertinet.
16. Quinam Mediatores Pacis esse possint? An etiam femina?
17. Clerici?
18. An & Privati?
19. Exempla privatorum.
20. Rarius Privati fiunt Arbitri, non quod non liceat, sed quia non expedit.
21. An si fiunt, consensus Principis de Jure requiratur.
22. De Mediatoribus queritur (1.) quae jura habeant, & ad quae teneantur.
23. Prioris generis sunt, quod sint (1.) inviolabiles:
24. Et magis quoque, quam nudilegati.
25. (2.) Quod omnes ceteros legatos ordine antecedant.
26. Hoc verò non necessitate juris, sed sola humanitate ipsis concedi.
27. Alterius generis jura sunt, ad quae Mediatores teneantur ex mediis necessitate.
28. Processus Mediationis tribus partibus consistit.
29. PRIMAM constituunt Preliminaria.
30. Primam hic questionem esse de loco conventus.
31. Locus medius esse debebat, sed eligi

XX



- ligi magis solet locus alterutrius Partis, & cur?
32. Quibus legibus caveri soleat, ut locus iste alteri parti suspectus esse desinat.
33. Altera questio est de mandatis & literis salvi conductus.
34. Ex quibus maxima saepe oritur lis ac mora tractandi.
35. Litem hanc Mediatores componunt, & quibus rationibus?
36. Utramq; questionem extra locum tractatum definitur solere.
37. Tertia est de termino seu tempore congressus, de quo tamen saepe in ipso congressu convenitur.
38. Alia adhuc preliminaris in ipso loco congressus expediuntur, uti de Curialibus.
39. Vel de rebus futuri conventus, & modo tractandi
40. Leges conventus Neomagensis.
41. Mediatorum cura extenditur ad omnia que in tractatu incidunt.
42. ALTERA processus Mediationis pars est ipse causa tractatio.
43. Que aliquando scripto, aliquando promissive fieri solet, & quid intersit: & de Idiomate.
44. Naturalis tractandi causam ferret. Exempla tractatus Osna-brugensis.
45. Utilitas ejus.
46. In omni Pace duo capita sunt distinguenta: Gravaminum & Amnestia.
47. Per Gravamina intelliguntur que-  
rola, que bello causam dederunt.
48. Amnestia est Pactum de damnis durante bello invicem illatis: Estq; duplex vel ad reparandum vel ad remittendum damna.
49. Mediatoribus non solum cause Principalis sed & omnium eorum, que ad pacem procurandam pertinent, incumbit administratio.
50. ULTIMA Processus Mediationis pars est pacis conclusio.
51. An subscriptio Mediatorum necessaria?
52. An premia possint accipere?
53. An specie Mediationis sue cause prospicere possint?
54. An Interpretatio rei dubie in pace iis competat? Neg.
55. Ad Obj. responderetur.
56. An ad Guarantiam teneantur?
57. Utrum, si plures sint, irritum reddi potest quod ab uno gestum?
58. Onera Mediationis utrum ad Mediatores pertineant?
59. De modis quibus officium eorum finitur. Scil.
60. (1.) Penitentiam partium quam Arbitri. Alia questio est an decorum sit.
61. (2.) Morte Mediatoris.
62. Successor ejus non succedit in mediationem nisi ex nova voluntate.
63. (3.) Variis factis Mediatoris vel Partium.
64. (4.) Mutato Mediatoris vel Partium Statu; Cujus articuli prolixior tractatio jam suspenditur.

DISPU-



\* (I.) \*  
DISPUTATIO  
DE  
OFFICIO & JURE MEDIA-  
TORUM PACIS.

§. I.



Mnium felicitatum cumu-  
lum atque complexum dicimus,  
cūm pacem; & omnium malorum  
lernam, cum bellum. De illa ve-  
risimè jactatur :

- - *Pax optima rerum.*

De hoc :

*Nulla salus bello.* - -

Geminum hoc tempus est, alterum rerum omniura  
copiā ac ubertate lætum ac florens, alterum omnium  
calamitatum inundatione funestum. Pace valet ac vi-  
get status humanæ societatis. Bellum vulnus, ul-  
cus & morbus statûs est, quo, quasi lue, fluit tan-  
demque contabescit, nisi pace iterum coëat ac conva-  
lescat.

§. II. Neq; hæc tempora communium utilita-  
tum magis, quam' jurium rationibus ab invicem se-  
parantur. Uti enim Justitia Pacis & Alumna est, ea-  
demq; Parens: ita injuria, belli. Cum pace enim illa de-  
finit, cum bello hæc nascitur. Quod non eò dictum volu-  
mus, quasi non & bella legitima legibus regantur; sed  
quòd hæc ipsa bellorum lex sit, non coërceri legum  
finibus. Intellexit hoc, si quisquam alius, Cæsar, cūm  
trans-



2 *Disputatio, de Officio & Jure Mediatorum Pacis.*

transmisso cum exercitu Rubicone, ut provinciæ suæ, ita & pacis limite,

*Hic, ait, hic pacem temperatâq; jura relinquo,*

*Te, fortuna, sequor,*

*apud Lucan. l. 1.* Senferat enim expertusq; deinde est, inposterum non jam præscriptis legum, sed ambiguis fortunæ cladiumq; eventibus, causam disceptatum decisumq; neq; Judicis, sed fortunæ arbitrio terminatum iri; deniq; non judicium sed aleam se subire.

§. III. Qvemadmodum itaq; homines & utilitatum suarum studio, & officii sensu in pacem duci debent, & cum societatis, cum juris, cum naturæ rationibus pugnat, bella æterna ac perpetua, litesq; immortales esse: ita iis nihil æquè congruum, nihil magis è re humani generis est, quàm esse in bello Pacis pararios, & hos equidem apud utramq; æquè partem inviolabiles, ac pro summa susceptæ in se provinciæ sanctimonia sacrosanctos, quorum industria, fide, auctoritate, gratiâ, quin & minis armorumq; ostentatione, pax animiq; coalescant.

§. IV. Floruere hac componendorum inter gentes, reges, ac populos bellorum laude inprimis Romani, qui bellis ad limites Imperii Euphratem præsertim, Rhenum, ac Istrum gestis, indeque hostibus pulsus, diu ac multis sæculis, potentiâ suâ armorumq; metu, magnam & præcipuam orbis terrarum partem pace continuerunt: ut non immeritò Cerialis, Dux Romanus, in sua ad milites oratione apud Tac. *Lib. 4. Hist. c. 74.* ita auguratus fuerit: *Pulsis, (quod Dii prohibeant,) Romanis, quid aliud quàm bella omnium inter se gentium existent? Octingentorum annorum fortunâ disciplinâq; compages hac coaluit, quæ condelli sine exitio condellentium non potest.*



*Disputatio, de Officio & Jure Mediatorum Pacis* 37  
*potest. Quod augurium eventus, senescente tum Imperii  
potentia ac virtute, firmavit. Ita Græci, cum, victo  
Philippo, pax iis & libertas restituta esset à populo  
Romano, exultabundi lætantur: Esse aliquam in terris  
Gentem, qua suis impensis, suo labore ac periculo bella ge-  
rat pro libertate aliorum &c. ne quod toto orbe terrarum  
injustum Imperium sit, & ubiq; jus, fas, lex potentissima sit.  
Liv. l. 33. c. 19.*

§. V. Digni hodieq; eadem laude sunt Christiani  
Europæ Reges, Principes ac populi, qui bello inter vici-  
nos orto vel imminente, ad suum æquæ decus & pie-  
tatem, quam ad communem utilitatem pertinere ex-  
istimant, ei componendo officia sua Mediatorum no-  
mine offerre ac interponere. Quo Zelo, qua conten-  
tione, fide, ac dexteritate nuper hoc in vicinia nostra fa-  
ctum fuerit, electis ad hoc negotium Viris primariis,  
longo rerum usu subactis, ac ingenii, facundiæ, doctri-  
næ, nominis deniq; sui & famæ celebritate longè emi-  
nentissimis, recens adhuc memoria est. Ut adeo haud  
abs re videatur de Mediatorum officio pro disputatio-  
nis exercitio pauca differere.

§. VI. Vix verò opus erit descriptionem Media-  
torum præmittere, cum vocis hujus haud obscura usu  
& proprietate sit significatio. In genere nimirum  
Mediator est, qui ortis inter alios litibus componen-  
dis receptus est. Hic verò specialiter is intelligitur,  
qui bellis inter Principes vel populos transigendis,  
ex utriusq; partis placito intercedit: Proxenetæ, in-  
quam, vel pararius Pacis, qui & Arbitrator seu Arbitra-  
tor Pacis rectè dicitur.

§. VII. Dicimus autem Mediatores receptos, quia  
partes ad transigendum vi cogi non possunt, sed mu-  
tuo



4 *Disputatio, de Officio & Jure Mediatorum Pacis.*  
tuo demum consensu ultro transigunt ac Mediatorem  
seu Arbitrum recipiunt. *rubr. ff. & C. de Recept. Arbitr.*  
*l. 5. pr. C. eod. tit.* Quod imprimis in Mediatoribus bel-  
lo componendo electis obtinet, ubi partes aliorum im-  
perio non subjectæ, compelli ad transactionem à nemine  
possunt.

§. VIII. Sed & Mediator seu Arbitr ipse libera-  
voluntate fit & consensu constituitur. *l. 3. §. 1. ff. eod. tit.*  
Quin, etsi receperit semel officium, poterit tamen re-  
integra desistere, invitis quoq; partibus. Nec impe-  
dit, quod Arbitr, qui semel recepit arbitrium, à Præ-  
tore cogi possit causam cognoscere & sententiam di-  
cere. *d. l. 3. §. 1.* Id enim speciali Prætoris edicto con-  
tra rationem juris communis cautum fuit: cum Arbi-  
ter constituatur per mandatum, quo ipsi causæ arbi-  
trium committitur atq; ab ipso recipitur; mandati  
autem ea est conditio, ut mandatarius re integrâ ei  
renunciare, atque à suscepto negotio desistere possit:  
*l. 22. §. fin. ff. Mand. §. 11. Inst. eod.* quod & naturæ ra-  
tionibus optimè congruere demonstravit Dn. Præ-  
ses *Promotor Studiorum meorum colendisimus in prelectione.*  
*ad Grot. de Jur. Belli ac Pacis l. 2. c. 12.* Singularis ergò  
saltè litium finiendarum favor, atq; adeò juris merè  
voluntarij est, quòd Prætor voluerit, ut Arbitri, qui  
causam decidendam semel receperunt, teneantur eam  
persequi, nec defugere vices semel susceptas possint:  
quod huc, ubi de causis Principum agitur, quæ solo Gen-  
tium Jure reguntur, non pertinet.

§. IX. Porrò Arbitrorum duo genera esse notis-  
simum est. Alii enim causæ decidendæ, qui instar  
judicum sunt, *l. 1. ff. eod. tit.* alii amicabili viâ ei concilian-  
dæ & transigendæ constituuntur, *l. 13. §. 2. ff. eod. tit.* ac  
vulgò



vulgò Arbitratores, Schieds *wannner* / dici solent. vid. Dn. Præses in *Hypomn. Inst. §. 3. tit. de Action. &* hi jure quoq; civili non coguntur, sed liberè recedere iterum à negotio possunt. *l. 15. pr. ff. loc. cond. l. fin. C. de Contrab. empt. §. 1. Inst. de Empt. vend.* Atq; his similes sunt Mediatores nostri, de quibus nunc agimus, & quibus proinde tantò magis liberum est abstinere negotio, etsi semel suscepto.

§. X. Requiritur autem in Mediatore, ut medius sit inter utramq; partem, atq; adeò à studio partis remotus. Cùm enim qui unius partis studium sequitur & ipse pars sit, ratio non patitur, ut idem partis & Arbitri vices gerat, & pariter sibi soli, quod partis est, & causæ utriusque æquè quod arbitri est, faveat studeatque atque ita confundantur, quæ jungi non possunt, pars & Judex seu Arbitrator: Illa etenim jus suum esse jam asserit, hic adhuc cognoscit ac deliberat: illa jam secundum se judicat, hic judicium adhuc suspendit: illi jam decisum est, huic adhuc decidendum; quorum omnium manifesta pugna est. Neq; hæcenus aliud est in Judice ac arbitro seu Mediatore, quin major propè contentio, causæ partem esse, & inter partes medium adeoque à causâ ejusq; partibus & studiis alienum.

§. XI. Non potuit igitur in tractatibus Pacis Neomagensis, ubi Serenissimus Rex Sueciæ Mediatoris officio inter Gallos & Imperium hujusque confederatos initio fungebatur, deinde autem ad Gallorum causam se adjungebat, retinere has vices, sed deposuit illico officium, desinitq; esse Mediator, cùm fœdere fieret hostium socius & eorum causam sequi ac tueri necessè esset: & ex utriusq; partis voto Serenissimus



6 *Disputatio, de Officio & Jure Mediatorum Pacis.*

Magnæ Britanniae Rex Arbitrarius successit. Idem accidit in tractatibus Pacis Osnabrugensis, ubi Rex Daniæ initio partes Mediatoris suscepit, sed deinde lite cum Suecis ortâ omisit. *Priol. de Reb. Gall. lib. 10. princ.*

§. XII. Verum tamen est, nec dissimulari potest, fieri sæpe, ut utraq; pars Amicorum suorum aliquem vel aliquos paci conciliandæ deputer. Et cur minus amicos, quam proprios ministros, qui magis Principi suo sacramenti religione devincti, ejusque causæ addicti sunt. Cæterum hæc propriè mediatio non est, cum pax non aliorum, ceu Mediatorum, sed ipsarum partium facta, (qui, quod per ministros amicosque agunt, ipsi agere intelliguntur) inita fuerit. Uti & fieri potest, ut pars in alterius partis amico vel cive ejusque fide ac integritate ita conquiescat, ut eum Mediatorem admittat. Sed is hæc fiduciâ contractâ recipitur, ut renunciaret iudicio Principis sui, atque ab eo animum abstrahat, & sic ferè medius sit.

§. XIII. Non tamen semper adeò necessarii sunt Mediatores, ut sine iis coalescere pax non possit. Et olim rarior & insolentior fuit Mediatorum opera, & Pax Madritia ac Crespiensis anno 1544. nullò mediatore conclusæ fuere: & Pax Pyrenæa per Mediatores frustra tentata, tandem 1639. absq; eorum interventu coit. *Priol. d. l.* & in ipso ejus ingressu memoratur, *Sans autre intervention que de leur paternelle affection & desir du bien. &c.*

§. XIV. Equidem Mediatores latiore sensu, & nimirum ita quoq; accipi possunt, ut ipsarum partium legati ac ministri hoc nomine veniant, quatenus & illi sunt medii inter Principem suum & hostem. Verum jam diximus supra §. 12. mediatores eos propriè non esse



esse, nec medios dici alio sensu posse, quàm quia sunt instrumenta ac ministeria Principis sui, non quia medii inter partes, cum sint partis ministri. Alia igitur quaestio est, an pax fiat factò ipsorum Principum litigantium, quale est, sive per se sive per suos ministros ac legatos pacem faciant; alia, an factò aliorum pacatorum, qui animos partium causamq; conciliant.

§. XV. Varia igitur patet esse Mediatorum seu Arbitrorum Pacis genera ac modos: uti (1.) Cum alii Principes pacati officia sua interponunt, qui maximè proprius & frequentior modus est. (2.) Cum utriusq; partis amici coeunt, aut rogati aut oblato tollendis dissidiis: uti in Pace Cameracensi Ann. 1529. inter Carolum V. & Franciscum I. facta, illius Amita hujus mater intercesserunt. (3.) Cum ejus, qui unius partis est, fides & aequitas ab utroq; in arbitrium probatur. Verùm id ob simulationum fraudes & proditiōis occasiones anceps atq; intutum & periculi plenum videtur. Hac specie enim Jugurtha ejusque Gener, Bocchus & Sylla invicem ludere voluisse ac infidias struxisse videntur in bello Jugurthino: cum Bocchus per Syllam res suas, Sylla per Bocchum causam Jugurthæ cum Romanis componere præ se ferrent; Bocchus verò Punica fide & Jugurtham & Syllam spe pacis attinuisse, multumque cum animo suo voluisse, Jugurtham Romanis an illi Syllam traderet, & metu quidem pro Romanis, studio contra eos fuisse visus est. *Salust. de Bell. Jug. c. 108.* (4.) Cum pactis vel fœdere caverur, cui arbitrium, si lites exurgerent, committendum sit: uti fœdere Suevico, tres arbitri in causis fœderis constituti. Dn. Strauch. *Diss. Jur. Publ. 10. §. 3.* Conf. *Crus. Annal. Suev. pact. 3. lib. 9. c. 1.* Sleid. *d. Regim. eccles. & sec.*  
l. 4.



8 *Disputatio, de Officio & Jure Mediatorum Pacis.*  
l. 4. in fin. Fœdere Belgico art. 27. potissimas arbitrii partes Regina Angliæ An. 1585. permisas ait Meteran. *Hist. Belg. l. 13. ad ann. 1585.* Quamquam hæc exempla ad id magis genus arbitrorum pertineant, qui instar judicum causam decidunt. Et tales arbitri fuere olim Austregæ conventionales *gewillkührte Austräge.* vid. *Disp. sub Dn. Præf. habita de Not. & exc. Austreg.* (5.) Cum per ministros & legatos transigitur, quæ abusive mediatio dicitur.

§. XVI. Quinam autem possint esse Mediatores haud difficilis decisio est. In re enim arbitrii quivis facile admittitur qui partibus probatur. Unde & feminae possunt esse Mediatrices, uti olim Coriolani mater & uxor inter ipsum & Romanos. *Liv. l. 2. c. 40.* Et ann. 1529 in tractatibus *Pacis Cameracensis*, inter Carolum V. & Franciscum I. illius Amita & hujus Mater. *vid. tabb. d. Pacis.* Uti & anno 1559. in tractatu *de Château en Cambresis*, Christiana, Lotharingiæ Dux, mediatrix fuit inter Henricum II. Gallia, & Philippum II. Hispaniæ Reges, *vid. Tabb. Pacis in Princ. Meteran. Hist. Belg. l. 1. ad Ann. 1559.* quin & inter præsentem Gallia, & Carolum II. Angliæ Reges mediatrice Portsmouthiâ res tractatas fuisse, eoq; nomine eam ultro citroq; sæpe commeasse, nostrâ memoriâ apparuit.

§. XVII. Nec dubium quin & Clerici possint, cum & impense ipsos deceat conciliatio Pacis & animorum. Ita induciis belli Belgici maturandis & promovendis officia idonea præstitit Joannis Ney, Generalis Franciscanorum. *Dominic. Baud. d. Induc. belli Belg. l. 1. & pass.* Et induciæ Nicenses anno 1538. mediatore Pontifice, ut plures aliæ, sunt depactæ.

§. XVIII. Neq; requiritur ut Mediatores summi Prin-



*Disputatio, de Officio & Jure Mediatorum Pacis.* 9

Principes & liberi populi sint: sed & subditos, & qui in alterius potestate sunt, conciliandæ Paci eligi à partibus posse non dubitamus. Neq; enim ad Mediatoris rationes necesariò pertinet, ut repugnantes coërcere possit, cujus est argumentis, monitis, officiis, persuasionibus &c. magis quàm armis agere; cum partes bella gerentium cum summa potestate sint, qui alium Judicem non agnoscunt, nec ad transactionem adigi possunt. Et quanquam Mediator, si jus armorum habeat ejus, qui sententiæ ipsius resistit, compellendi causa, vim & arma inferre possit, non tamen id jure Mediatoris facit, sed Jure summi Principis, qui, tamen si Mediator non sit, causam alterius Principis sequi, eumq; armis & opibus suis tueri potest. Verùm hoc ipso fit hostis, novique nobis cum eo belli causa erit.

§. XIX. Ita in sacris quoque mulier privata fuit pararia pacis, inter Joabum & civitatem suam. *2. Sam. XX. v. 16. & seqq.* Et in prædicto exemplo Caroli V. & Francisci Illius Amita & hujus Mater intervenere, quæ tamen jus belli & armorum non habuerunt, sed Regibus subjectæ fuerunt. *supr. §. 16.*

§. XX. Equidem certum est rarius id fieri, non quòd non liceat, sed quia non expedit. Privati etenim neq; ea videtur autoritas, ut exacerbatis invicem Regum animis iram & arma excutiat, neque ea dignitas est, ut Regibus satis decorum videatur ejus arbitrium, neq; eæ opes, ut oneri sustinendo sint pares: cum e contrario Princeps, qui par est potentiâ partibus, autoritate, gratiâ, opibus, metu &c. pervincere facilius possit.

§. XXI. Quod si tamen admittatur privatus & qui sub alterius potestate est, quæritur, an sine consensu Prin-

B

su Prin-



su Principis sui arbitrium vel offerre vel suscipere possit. Equidem suâ naturâ in arbitrio privatorum est, iudicium suum inter consentientes interponere, conciliare lites odia, animos, tentare concordiam, pacem, transactionem, quæ omnia juris & arbitrii privati, & laudanda magis sunt quàm objurganda. Unde valebit omninò talis transactio, & obligabuntur invicem, partes: verùm non tutum hoc est Arbitro, & facilè ille hoc facto incidere potest in Principis sui odium & animadversionem, quippe qui indignari & forè causari posset, aliter transactum esse ac suâ interest, speretum se hoc arbitrio, sibiq; prælatum ministrum vel civem, & contra fidem ministri & officium boni civis videri, res tantas Principis sui ingratis moliri, ac quasi fur-  
tim suscipere.

§. XXII. Jura verò Mediatorum in genere ad duo capita referri possunt. Vel enim ad eorum dignitatem & facultatem spectant, scil. jura ipsorum præcipua & Prærogativæ &c. Vel II. ad officii necessitatem, scil. ad quæ ipsi officii intuitu tenentur.

§. XXIII. Prioris generis jura sunt I. quod Mediatores eorumq; subdelegati omnia ac singula legatorum jura ac privilegia habeant. Unde & ipsi, & qui ab iis mittuntur, sunt sancti ac inviolabiles, & hi Principis sui personam caractere referunt.

§. XXIV. Quin potiori jure Mediatores quàm Legati utuntur. Hi enim solo juris Gentium privilegio inter hostes tuti sunt; Mediatores præterea interposita utrinq; fide & consensu utriusq; partis, saltem tacito. Uti enim, cùm in colloquium hostes consentiunt, hoc ipso eundi & redeundi securitatem incolumitatemque invicem pacti intelliguntur: ita multò magis, si Mediato-



*Disputatio, de Officio & Jure Mediatorum Pacis.* II

diatorem transigendi causâ, communi consensu admittunt. Non potest enim, qui in colloquium saltem, nedum in mediationis negotium consensit, etiam in id consensisse intelligi, sine quo illa explicari nequeunt. *l. 6. ff. d. alim. leg. arg. l. 2. ff. d. Jurisd. §. 2. Inst. Qui & ex quib. caus. man. §. 1. Inst. Qui test. fac. pr. Instit. d. Her. Inst. &c.* Et adeo, qui colloquii idem tacite etiam securitatis fidem, sine qua ad colloquium mediationemve perveniri non potest, dedit, ut planè, si in itinere violatus sit, fides violata & perfidiæ reus intelligatur. vid. *Grot. d. 7. B. & Pac. lib. 3. cap. 15. §. 2. & loca ibi adducta.* Frustra verò hæsitat Grotius in factò Labieni, qui Comium Regem Atrebarum, Gallos in Cæsarem sollicitantem, simulatione colloquii per Volusenum occidere voluit, visumq; fuit, id sine ulla perfidiâ fieri potuisse. *Cas. d. Bell. Gall. lib. 8. (qui Hirtio tribuitur) c. 23.* Non dubium enim, quin perfidia hoc scelere commissâ fuerit. Unde Comius postea nulli Romano amplius fidem habere statuit, *Hirt. d. c. 23.* & tandem, cum autor Volusenus iterum eum insequeretur, testatus suos, *ne vulnera sua perfidiâ interpositâ, paterentur multa*, citato equo, hastâ femur ejus trajecit, perfidiamque ultus, & hoc factò tamen à Romanis receptus est. *Hirt. d. lib. 8. c. 5.* Quemadmodum & Caroli Delphini, qui colloquii specie Johannem Burgundum interficiendum curavit, facinus, perfidiæ crimine notatum fuit. *Paul. Æmilius d. Rebus Franc. lib. 10. in Vita Car. VI. seu Reg. 52.* & latissime *Serran. Hist. Franc. ad annum 1419.* adeo ut nemo cædis ejus autor videri voluerit; *P. Emil. d. 1.* sed implacabili odio deinceps certatum & internecino propè bello diu parentatum defuncti manibus fuerit.

§. XXXV. II. Mediatoribus illud quoq; jus præcipuum



12 *Disputatio, de Officio & Jure Mediatorum Pacis.*

puum tribui solet, ut in causa & negotio mediationis primum illi inter omnium Principum, etiam eorum, qui aliâs ordine priores ac potiores sunt, Legatos locum obtineant. Eâ enim prærogativâ Regis Angliæ, ceu pacis Noviomagensis; & Regis Sueciæ, in novissimâ Pacis Risvicensis tractatibus, Mediatorum Legatos usos fuisse novellis proditum est.

§. XXVI. Verùm quæritur, an juris necessitate, an sola humanitate indulta fuerit Mediatorum Legatis hæc prærogativa. Et sanè non apparet ulla ratio solida, quâ probari firmiter hæc ordinis immutatio posset. Neque enim ejusmodi Pacis conciliator Imperium vel Jurisdictionem in partes consequitur, aut iis ideò superior videtur. Neque sola inter partes litigantes suscepta transactio vel partibus dignitatis gradum detrahit, vel alteri addit, vel quicquam in dignitatis loco, cum quo nihil commune habet concordia tentatio, mutat. Et sanè Neomagi nec Legati Cæsarei, nec Marchio de la Fuente, Hispanus, tametsi hujus Collegæ jam antè cesserant loco, eo decedere Mediatori noluerunt. *Aut. Descr. Pac. Neom. ad ann. 1679. Febr. & ad ann. 1678. Jun.* Cæterum etsi firma satis ratio non appareat, ut jure certo Mediatores primum locum vindicare possint, attamen humanitatis videtur, eum ultro ipsis concedi, qui tantum operæ ac sumptuum pro partium salute impendunt, atque devoratis tot molestiis, victisq; difficultatibus omnibus in id laborant, ut amissam pacem, summum inter homines beneficium, reducant atq; instaurent.

§. XXVII. Sequitur alterum caput, quo, quid agendum sit Mediatoribus, continetur: scilicet quicquid ad conciliandam pacem & concordiam molliendum-  
que



que animos ac odia facere potest. Cujus rei momentum omne præcipuè in autoritate, gratiâ, prudètia, fide, industria, & contentione subdelegatorum positum est. Quid autem aptius, quid securius, quid efficacius sit finiendo bello instaurandæq; paci, non Juris disciplinæ, sed prudentiæ magis Politicæ est; de quo egit *Lips. Polit. l. 5. c. 19. & 20. & lib. 6. cap. 7.* & non minus eruditè B. Dn. Brunnem. *Ordinarius quondam in hac Acaemia meritisissimus & longè celeberrimus, in tractatu de Pac. Polit. Diss. 3. & Diss. 6.*

§. XXVIII. Cæterum nos ea quæ juris sunt, & ad Jus Gentium pertinent, exequemur. Quod igitur agendum est mediatori, & procesus quasi arbitrii & Mediationis, tribus partibus absolvitur, quarum una complectitur præliminaria tractatum; altera tractatus ipsos; & postrema conclusionem eorum & consecutaria.

§. XXIX. Præliminaria, die præliminar; und *Vorbereitungs oder Eingangs-Handlungen*; sæpe otiosis vocularū captationib9 & superstitionis formularū aucupii aliisq; contentionū insidiis mirum in modū trahuntur, sæpe quoq; turbantur, quin rumpuntur. Unde cum maximis tum difficultatibus colluctandū est Mediatori.

§. XXX. Prima verò quæstio est de loco conventus, & quidem tali, qui utriq; parti sapiat. Qua in re Ferdinandus III. Imperator suum in pacem studiū est testatus, literis ad Regē Daniæ Mediatorem d. 17. Nov. 1638. datis, quibus ejus optioni permisit, Lubecam an Hamburgum tractatui Pacis destinare maluerit: quamquam neuter locus reliquis partibus deinde placuerit.

§. XXXI. Locus quidem debebat esse medius & neutrarum partium. Verum, cum illud quoq; pluri-



num difficultatis habeat, nec consultum videatur partibus, permittere se loco, qui in aliena potestate est, in quo nec legem dicere, nec modum congressui aut processui statuere, nec aliàs quicquam disponere possunt, sed ubi privati & alterius arbitrii sunt; eligi magis solet locus qui alterutrius partium est, & abolendæ suspicioni certæ leges utriusque voluntate statuuntur.

§. XXXII. Hinc igitur ne locus alteri partium sit suspectus, sequentibus legibus efficitur. (1.) Cives & Senatus loci, quoadusq; congregatio pacis causâ ibi durat, mediis &, ut vocant, neutrales habentur & declarantur, adeo ut, cum confœderati Noviomagi locum proprium suis congressibus deligerent, negarent Galli, in urbe media, omnibusq; adeo communi, id salvâ Neutralitate licere. *Autor Descr. Pac. Nov. ad ann. 1676. mens. Jan.* (2.) Solvitur vinculum, quo cives & Senatus Principi suo sunt obstructi. (3.) Si quæ præsidia oppido ab altera partium imposita sunt, medio tempore deducuntur &c. (4.) Senatui aut Magistratui civitatis proprio milite aut suis civibus urbem tueri, excubiasq; agere committitur. (5.) Spondet ac jurat Magistratus oppidanus partium Legatis securitatem ac præsidium, causæ quæ agitur, personisq; ac Comitibus Legatorum eorumq; rebus se præstiturum: Ac (6.) Legatorum desideris se promptè satisfacturum, sic tamen, ut, si pars in re communi quid postulet, id reliquis ante communicetur. Sed & (7.) spondet Legatis reverentiam. (8.) Tractatibus finitis civitas in pristinum statum restituitur. Prout hæc ita speciali transactione & communi consensu Hamburgi conclusa fuere *die 25. Dec. 1642. Brahe's. Hist. 16. ad ann. 1642.*

§. XXXIII.



§. XXXIII. Altera, & longè impeditior quæstio est, tum de mandatis, seu, ut vocant, plenipotentis, *Vollmachten*/ quibus Mediatorum omniumq; partium legati ad causam agendam inprimis instruendi; tum de literis salvi conductus, *frey sicher Weleid*/ quibus ad tutò commendum iidem Legati utrinq; muniuntur.

*Brachel: d. loc.*

§. XXXIV. Ex his literis ingens sæpe litium, feges subnascitur, tum de verborum apicibus, tenore formulari, nominumq; honoribus, & ad superstitionem usq; contenditur, atq; insidiæ inde vel metuuntur vel finguntur. Hæc funesta disceptandi de verbis mora in negotio Pacis Westphalicæ in octo annos tracta fuit, fervente interim bello atrocissimo, ut quantus ad excitandum odia ac vastitatem ardor, tantus ad sopiendum & pacandum veternus apparuerit, quemadmodum de eo graviter conquerebatur Rex Daniæ literis ab Imp. datis *d. 7. Octobr. 1638.*

§. XXXV. Hic verò partes Mediatoris sunt ita se interponere, ut vel alteri partium causæ iniquitatem, vel alteri rei inutilitatem dextrè demonstret, atq; adeò vel ille iniustitiæ convictus, vel hic de rei inanitate persuasus cedant, ille jure, hic pacis amore. Ita cum in bello tricennali Rex Galliæ hoc solo pretextu extraheret præliminarium tractatum, quòd in literis commeatùs Cæsareis Ducis Sabaudia Mater non esset appellata *Regentin und Vormünderin*; & parum abesset, quin ideò convellerentur tractatus, & prope desperata res videretur, Rex Daniæ, ceu Mediator, literis die 19 Novemb. & d. 24. Dec. 1641. ad Imp. datis, demonstrando vanitatem hujus postulationis. & ex adverso momentum negotii Pacis, ratione, gratiâ, precibus,



cibus, pervicit ut Cæsar cederet. Quod idem jam ante, scil. anno 1638. acciderat, cum Regina Sueciæ unam atque alteram voculam in literis com meatus desideraverat. Alia majoris momenti sunt, ut cum Rex Galliæ Lotharingum admittere, & literas com meatus ei dari noller, summa ope commisi sunt Mediatores, ut tandem id obtinuerit. *Fursten. de Suprem. cap. 2.*

§. XXXVI. Cœterum hæc duæ quæstiones extra locum tractatum agitari solent, & vel per literas explicari possunt, ut ferè in tractatibus Pacis Risvicensis factum fuit: vel, si pervicacior de iis sit disceptatio, per Legatos, alio interim in loco hanc ob rem coëuntes; uti in prædicti Belli tricennalis tractatibus illa Hamburgi potissimum transacta sunt.

§. XXXVII. Tertia quæstio præliminarium est de termino seu tempore congressus: quem tamen in antecessum constitui semper necessarium non est. Nam in tractatibus Pacis Neomagensis Rex Galliæ, non exspectato aliunde termino, Legatos suos ad locum tractatum misit, quod & in tractatu Risvicensi factum est, quò cum & reliqui venissent, de termino ibi inter ipsos convénit. *Aut. descr. Pac. Neom. in princ.* Atque hæc omnia ut bona fide sine furo rata habeantur à Principalibus; ad curam Mediatorum spectat.

§. XXXVIII. Hoc quoque extra locum pacificationis per Mediatores ferè definitur. Enimverò deinde quoque posteaquam Legati jam convenerunt, in loco, adhuc tamen præparatorii actus, seu, ut vulgò, præliminaria sunt, de quibus antè transigendum ipsis est quàm causa ipsa disceptari possit. Uti si lis sit, qualis sæpe ingens est, de Curialibus, ut vocant. *vid. Fursten. de Suprem. c. 5. & pass.* In qua plurimi momenti est  
judici-



judicium Mediatorum, adeo ut iis Principum causam, in controversia de charactere Legatorum, Ordines foederati Belgii commendarint. *Fursten. d. tract. c. 4.* Sic Mediatoribus quoque Legati adventum suum inprimis denunciant, & mandata sua, die *Bollmachten* seu, ut vulgo, literas credentiales, iisdem offerunt, & hi deinde cum reliquis communicant: ut caurum *Pac. Oliv. art. 34. §. 6.*

§. XXXIX. Sed & alias leges ex consilio Mediatorum inter praeliminaria, de rebus futuri conventus & tractandorum modo confici fas est. Inprimis vero ubique jus convocandi legatos Mediatoribus competit, qua via difficillimae saepe lites ab iis compositae sunt.

§. XL. Sed & de tractatus facilitate, tranquillitate ac securitate quasi statuta consensu Legatorum condunt. Quomodo Noviomagi ex arbitrio Regis Angliae, Mediatoris, ad promovendos Legatorum ingressus in urbem, statuebatur, ne Legati cum solennium publicorum apparatu urbem intrarent: neve adventum suum amplius quam semel denunciarent: neve satellites ipsorum gladiis cincti in publico ambularent. Quin propter vicorum urbis illius angustias scripto comprehensae erant leges, quibus cavebatur, quid fieri deberet si plures rhedae pensiles invicem occurrerent. Quanquam pleraque horum minus observata deinde fuisse conqueritur *Autor Descript. Pac. Neom. ad ann. 1676.*

§. XLI. Quemadmodum igitur haec a Serenissimo Mediatore consensu Legatorum prudenter statuta fuisse, ad publicam conventus quietem, securitatem & concordiam, atque ad causae transigendae facilitatem: ita generaliter ad officium Mediatorum pertinet, pro virili in id incumbere, ut omnibus rebus, omnibusque quae suboriri posse videntur, molestis atque disidiis, ante causae disputationem ita prospiciatur, quo

C

sine



18 *Disputatio, de Officio & Jure Mediatorum Pacis.*  
fine offensione peragi illa feliciter possit. Atq; hæc  
hactenus de præliminaribus.

§. XLII. Sequitur jam *alterum* caput, *ipsius causa*  
scilicet *tractatio*: cujus prima pars est propositio cu-  
jusque partis, quæ instar libelli est, quo quisque jura  
vel gravamina sua exhibet Mediatori, a quo deinde ea in-  
vicem comunicantur, diciturq; *die gegeneinander gesche-  
hene Auswechselung*. Atq; hæc vix aliter quam scripto fi-  
eri poterit, ut quæq; pars postulatorum adversarii ex-  
emplum Principi suo transmittere, & ipse ea pernoscere,  
atque ritè se ad respondendum instruere possit.

§. XLIII. Verùm de reliqua tractandi ratione quæ-  
stio quandoque incidit, scripto causa agitanda sit, ob-  
servato libellorum ordine, an promiscuè, prout res  
inciderit. Neomagi prior modus Germanis placuit,  
alter Gallis. Ille prolixior, sed accuratior atque ad  
causæ justitiam cognoscendam tutior ac certior est; hic  
brevior, sed confusior, & ubi gratiâ, quam ubi jure cer-  
tatur, aptior. Posterior placuit in tractatu Neomagen-  
si & Risvicensi, sed prior in tractatu Osnabrugensi, ita  
tamen, ut quandoque, pro re nata, coram quoq; deli-  
beraverint. Uti & quandoque de lingua seu Idiomate  
lis incidit, & Noviomagi Legatus Regis Daniæ linguâ  
Danicâ noviter uti voluit, sed admittus non fuit nisi  
cum solito linguæ Romanæ usu.

§. XLIV. Naturalis autem agendi & transigendi  
negotia series est, ut, quemadmodum in judiciis fit,  
propositione exhibita, alterius exceptiones, tunc illius  
replicatio, deinde hujus duplicatio, & sic porrò, si ne-  
cessè fuerit, ordine exhibeantur invicemque commu-  
tentur. Sic in tractatu pacis Westphalicæ, propositio-  
ne ex parte Sueciæ & Galliæ in ipso festo Trinitatis an-  
ni 1645 exhibitâ, responsio deinde unâ cum propositio-  
ne ex parte Cæsaris & Hispaniæ die 15. Septemb. d.  
Anni;



*Disputatio, de Officio & Jure Mediatorum Pacis.* 19

Anni; tum à Suecis die 16. Octobr. ejusdem Anni, & à Gallis die 5. Jan. 1646 Replica; deniq; ex parte Cæsaris Kal. Maj. Duplica exhibita fuit.

§. XLV. Quibus rebus efficitur, ut cum Mediatōres tum partes ipsæ momenta causæ cognoscere, & illi autoritate juris animos permovere ac perpelle-re; hæ ei quod fas æquumq; apparet, ultero manus dare possint, dabuntq; tantò magis, quò majore sunt animi magnitudine, quò generosiore pietate. Neq; enim quicquam est quod Principum animos magis movere debeat quàm ratio justī: uti nihil est, quod æ-que Principum potentiam firmat quàm Justitia. Idenim omnes docet tum ratio, cum non sint Principes nisi justitiæ causâ; l. 2. §. 13. ff. d. O. 7. Vid. *Orat. Cancellarii Gal-licæ apud Thuan. Hist. l. ad an. 150.* tum sacræ paginæ au-toritas: *Psalm. 89. vers. 15. Justitia fundatur solium Regis;* tum Gentium consensu; *Fortunam meliores sequi.* Vid. *Orat. Philippi adversus Lepidum apud Salust. in fragm. lib. 1. & Orat. Lepidi contra Syllam ibid. & Orat. Pontii apud Liv. lib. 9. c. 1.* tum Hebræorum Magistri; *A quo stat æquum, ab eo DEUS.* *Josèph. Antiq. lib. 15. Cap. 8.* Vid. *Orat. Herodis d. Cap. 8.*

§. XLVI. In omni verò Pace duo sunt, de quibus tractatur. Alterum ipsa belli causa, scil. injuria illa, quam sibi fieri queritur qui bellum movet. Alterum damna illa, quæ durante bello per armorum licenti-am invicem data sunt. Prius caput hodie dicitur *Gravaminum*, alterum *Amnestia.* *Rec. Imper. 1641. §. 12. Reces. Exec. §. 2. & pass. insertus R. I. 1654. Pac. Osnab. art. 10. §. 13. & Mona. st. §. 105.* Vid. *Disp. de Amnest. hic habita sub Pra-sidio Illustr. Dn. Præs. Doctoris mei æternum devenerandi.*

§. XLVII. Gravaminum verbo intelliguntur inju-riarum querelæ, quæ causam bello dederunt: estque hæc causa principalis, cui inprimis componendæ Me-diatōres operam impendunt. *Instr. Pac. Osnab. art. 5. &*



*seqq.* Atq; ita cum bello tricennali causam præcipue dedissent gravamina circa religionem, conscientiarum libertatem, & bona ecclesiastica, latissimè illa utrinque excusata atq; decisa sunt.

§. XLVIII. Amnestia est pactum, quo obligatio injuriarum ac damnorum, quæ bello data sunt, aboletur, & eorum quasi memoria extinguitur. Hæc fit, vel reparatione damnorum, uti in pace Osnabr. *art. 1.* & *Monaste §. 1. & seqq.* vel contrâ eorum remissione, ut in pace Græciæ inter Philippum & Ætolos, apud Polyb. *Hist. lib. 5. cap. 103.* Quandoque verò ita fit amnestia, ut ab altera saltem parte reparatio fiat; uti in Pace Asiatica inter Romanos & Antiochum, Romani omniâ bello capta retinuere; Antiochus verò impensas belli restituit. *Liv. lib. 37. cap. 45. Conf. d. Disput. de Amnest.* Quorum proinde omnium transactio ad Mediatorum curam pertinet.

§. XLIX. Neque verò tantum causæ Principalis, sed & omnium; quæ præterea accidunt atq; ad negotium illud pertinent, administratio eis incumbit. Ita, cum anno 1679. Archi-Episcopus Colonienſis vellet praesidium Casareum Bonnâ deduci, preces Mediatori obtulit. Sic & protestationes Partiû corâ Mediatoribus fieri & actis Mediationis inferi solent. Si rixæ inter comites vel satellites Legatorum effervescent, ipsorû id curæ est ut sopiantur. Inprimis verò, cum rumpendorû tractatum metus vel periculum est, Mediatorum est prospicere, ne rumpantur, quin & ruptis iis, in id conſulti, ut repetantur: quemadmodum Fustenbergio Coloniae intercepto tractatus ibi inchoati cum spe resciscendi propè extincti; tandem tamen Serenissimi Regis Britannia operâ atq; sollicitudine Neomagi restituti sunt. Arque hæc hæctenus de altero capite Mediationis, scilicet disceptatione causæ.

§. L. Ter-



§. L. Tertium caput est Pacis conclusio. Satis verò vulgatum est, primum aliquam Pacis formulam delineari, vel à Mediatore, vel ab una partium, vel ab utraque: quod postremum in Pace Osnabr. & Monast. factum. Hujus deinde communicatio fit, eiq; tamdiu vel detrahitur vel additur, vel aliud substituitur, donec in formulam omnes consenserint, eoq; pax conclusa fuerit.

§. LI. Hoc facto & Mediatore & Partes instrumento Pacis subscribunt, quod & cautum Pace Oliv. art. 34. §. 2. ap. *Loccen. pag. 99.* An autem invito quoq; Mediatore pax concludi, ac sine eo subscribi possit, dubium videtur. Verum, cum Mediator sola voluntate Partium recipiatur, nec ejus intersit, concludere Partes de sua re ac negotio planè possunt: uti Pax Neomagensis conclusa est invito primum Mediatore, nec ab hoc scripta, quòd Cæsarei primum ei locum permittere nolent. *Aut. Deser. Pac. Neom. ad ann. 1679. mens. Febr.* His factis sequitur rati habitio Dominorum. Modus, quo hæc fieri, ritusq; qui adhiberi solent, arbitrarii sunt: uti & exequendæ pacis ratio, de qua aliquando in ipsis Pacis tabulis, vel deinde conveniri solet, ut in *Pac. Osn. art. 17. Vid. d. Rec. Executionis Pacis, insertus R. I. 1654. §. 5.*

§. LII. An autem præmium accipere Mediatore possint, quæritur. Quod magis negandum est, cum ab omni partium studio remoti esse debeant, & præmiis, quin & spe præmiorum corrumpantur, ac suspecti fiant. Nisi utriusq; partis consensu beneficium concedatur, uti solet plerumq; id dari, ut pace utrinque comprehendantur: velut in Pace Risvicensi &c.

§. LII. Multò minùs verò quæ partium sunt in suam rem vertere, Mediationis specie inhiare rebus ac terris litigantium, easque sub hac umbra deprædari possunt. Unde Tyrannicum planè est, si quis simulato componendi bella studio, partes debiliores clam-



culum foveat, ut uterq; vel alteruter prædæ cedat: in quas artes Machiavellus Principem instruit: nec ab iis ipsi olim Romani alieni fuere; nec nunc quidam defunt inter Christianos quoq; sed parcimus exemplis.

§. LIV. Quod si verò pace conclusa dubium ali- quod oriatur, num Mediatorum sit jus interpretandi, quæstionis est. Id verò neutiquam statui potest. Jus enim interpretandi, ita ut interpretatio inter partes pro lege sit quâ teneantur, tantum est Superioris. *l. 2. C. de Legib.* Cæterum nec partes, inter quas bellum est, habent Superiorem; nec Mediator in partes imperium aut superioritatem, ut inde obligentur: quem admodum supr. §. 18. & 26. expositum est.

§. LV. Nec impedit, quod in causa compromissi Heilbronensis provocatum aliquando dicatur ad mentem & interpretationem Arbitrorum. Nam Resp. (1.) Nullum id alteri præjudicium attulit. (2.) Alia ratio est Arbitri, qui sententiam dicit, alia Mediatoris, quo parario partes paciscuntur. Sententia est Arbitri, in qua proinde arbitri mens inspicitur; at pactum est paciscentium, adeoq; non nisi ex horum sententia interpretationem capit, & proinde nullæ planè hic sunt, interpretandi partes Mediatoris. Deniq; (3.) Neq; illa interpretatio est authentica, quæ pro lege est, neq; alterius generis: Lex enim in summos Principes nulla est; reliquæ, cum rem dubiam relinquunt, Principes non tenent, quorum in dubio Judicium est, nec Judicem nisi Martem agnoscunt.

§. LVI. An verò teneantur Mediatores ad Guarentiam pacis, quæri itidem potest. Quod negamus: cum alia sit causa Mediationis, alia Guarentiæ; & alii atque alii actus, qui nihil in vicem commune habent. Nec Mediator, ut talis, intervenit animo sui obligandi, sed transigendæ litis, de quo Frater in Disp. de Jure Guarentiæ agit.

§. LVII.



§ LVII. Quæritur si plures sint Mediatores, an valeat quod unus solus gessit? Resp. Certum est, si plures sint delegati Judices, vel Arbitri qui sententiam dicunt, nihil valere quod unus inconsultis reliquis decrevit, nisi ex clausula: *samt und sonders*: dati vel recepti sint. *c. 21. §. Adjicimus. c. 22. c. 23. c. 27. pr. X. de Off. Jud. del. c. 13. X. de Rescript. l. 17. §. f. l. 18. ff. d. Recept. arb.* Verum Mediatorum autoritas ad negotii validitatem nunquam requiritur, neq; ipsi actum ullum invalidum reddere possunt: quia non interveniunt, ut jus faciant, sed ut animos concilient; non ut jure rem decidant, sed ut argumentis persuadeant. Et licet planè non intervenierint: quicquid tamen inter partes, de quarum re agitur, placuit & convènit, ratum esse oportet; cùm earum juri hæc interpositio nihil deroget. Ita cum Neomagi varii fierent tractatus, uti inter Casarem, Gallos, Belgas, Brandenburgicos, Hispanos, Suecos, Danos, & Monasterii Præsulem, vix tamen ullius conclusioni intervenit autoritas Mediatorum. Multò minus igitur irritum fiet, cùm unus saltem Mediatorum intercessit. Verumtamen ille tenebitur Principi suo, si, quod pluribus simul commissum est, ille solus obiverit, sinesq; mandati eo excesserit.

§ LVIII. Etsi verò dicendum videatur, onera Mediationis ad Partes pertinere, quippe quarum negotium geritur: constetq; satis, sive mandatu sive sponte suâ quis negotium alterius gerat, sumptus & expensas eum vel mandati vel negotiorum gestorum contrariâ actione repeti posse; *l. 12. §. 9 ff. Mand. § 1. Inst. de Obl. qui quasi ex contr. quin & naturalis obligandi repetendiq; causa sit cùm quid in rem alterius utiliter versum est: tamen negotio Mediationis Principum idè id non convenire existimamus, quia id actum non videtur. Mediatio enim sola amicitiae ratione, affectuq; suscipitur: adeoq; animus repetendi aut credendi non intelligitur. *arg. l. 11. l. 13. C. de Neg. gest. l. 34. ff. eod.* inprimis inter Principes, quorum generositati ac Magnitudini non videtur convenire, ut operam quasi mercenariam præsentent, quos maximè decet liberalitas atq; magnificentia. Accedit, quòd, cùm nullum majus inter homines bonum sit, nihilq; magis generis humani intersit, quàm pacem servari & bella sopiri: Princeps Mediator hanc præsertim, quæ omnibus triumphis nobilior ac longè major est, gloriam quæsisse, eoq; maximum operæ, quæ de humani generis societate tam præclare meritis est, precium consecutus fuisse intelligatur.*



QK  
TK  
5148

§. LIX. Denique quibus modis desinat officium Mediatoris videndum est. Et quidem finito negotio, & tractatibus vel ruptis vel conclusis illud finiri, haud ambigitur.

§. LXI. Sed & utrinq; recedi potest à negotio; nec utriusq; tantum consensu, sed & unius, & magis quidem quam mandatum: cum totum sit voluntatis & arbitrii, seu, ut vulgò loquuntur, res meræ facultatis, partes suas ad conciliandum disidia interponere. Equidem si de honesto quaratur, non satis decorum videtur, sine causa vel Mediatorem vices semel tam præclare susceptas deserere, vel Partes officii semel probati benevolentiam rejicere.

§. LXI. An autem morte Mediatoris finiatur, dubium videtur? Et finiri omnino existimamus. Cum enim nulla obligatio ceperit cum defuncto, ut §. 59. supr. traditum est, nec poterit illa transire in heredem; nec in hujus persona jus intelligi, quod in defuncto non fuit: quæ & vera ratio est, cur mandatum quoq; morte finiatur. §. 10. *Inst. & l. 37. ff. Mand.* Præterea, quæ meræ voluntatis & arbitrii sunt, morte desinunt; *l. 32. ff. de Donat.* tale autem esse hoc negotium diximus. Et inspicitur ab altera parte personæ, quæ admittitur, industria, ab altera in eos quibus officium desertur, affectus: quæ omnia personalia sunt & cum personis finiunt.

§. LXII. Mortuo igitur Mediatore successor non ex successione, sed proprio jure suscipit hoc officium, & Partes eum ex novo consensu recipiunt. Quod in tractatu Risvicensi accidit: Rege enim Sveciæ inter ejus auspicia mortuo, Successor ipsius Serenissimus eidem negotio se obtulit, atq; à Partibus facillè receptus est.

§. LXIII. Porrò finiri quoq; potest Mediatio vario facto Mediatoris vel Partium: uti Curialium, ut vocant, neglectu. Ita cum antè memoratus Marchio de la Fuente, Hispaniæ legatus primi ordinis, in conventu Neomagenfi nollet permittere primum Mediatoris, scil. Regis Angliæ, Legatis locum, atq; hinc visitandi officium inter eos intermitteretur, tandemq; tractatibus cæteris absolutis, restaret inter Hispanos & Suecos pacis compositio, visum fuit, Regis Angliæ Legatos Mediatoris vices in ea sustinere non posse, cum officia Legatorum inter eos initio non essent observata. Sed intervenitu legatorum Casareorum res conciliata fuit. *Aut. Descr. Pac. Noviom. admers. Aug. 1679.* Unde de similibus facile judicium est.

§. LXIV. Deniq; tollitur Statu Mediatoris vel Partis ita mutato, ut inter eos hoc officium amplius præstari nequeat. Quod quam variè fiat, prolixius tractare, ultra instituti nostri fines est.



vi-  
tis  
n-  
n:  
ne-  
E-  
ne-  
re,  
r?  
e-  
ire  
to  
ia-  
&  
oc  
id-  
e-  
to-  
vo  
ge  
is-  
:  
e-  
im  
of-  
ia-  
ci-  
ris,  
re-  
im  
en-  
to-  
ut  
rie

Pou TK 5148  
de



v 518











II R  
5148

II, 24.  
74. DISPUTATIO JURIS GENTIUM PUBLICI,  
De

# OFFICIO & JURE MEDIATORUM PACIS,

Quam  
*Auspiciis Divini Numinis*

PRÆSIDE

**DN. HENRICO COCCEJO,**

JCTO LONGE CELEBERRIMO,  
RENISS. ac POTENTISS. REGIS BORUSSIÆ  
CONSILIARIO, EIDEMq; AB AULÆ REGIÆ CONSILIIS,  
FACULT. JURID. ORDINARIO, & PROFESS.

PRIMARIO,  
h. t. UNIVERSITATIS RECTORE MAGNIFICO,

ANTEA  
MMI CONSILII STATUS ELECTORALIS PALATINI  
ET COLLEGII REVISORII ASSESSORE, IN ALMA HEIDEL-  
BERGENSI DECRETAL. PANDECT. ET JURIS GENT.  
PROF. PUBL. ORDIN. MERITISSIMO,

*Fore & Promotore Studiorum omni observantia cultu prosequendo,*  
Publice defendendam  
suscipiet

*Ad Diem IV. Februar. Ann. MDCCII.*

**RIDERICUS DE STEPHANI,** 16.  
Eques Marchicus.

Francofurti ad Viadrum, *Literis* Christophori Zeitleri.

20 16

